



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Religiosi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

potuerit, vti hic apparet in cit. §. Episcopo, tamen ea facultas, exceptis quibusdam casibus, ablata est in Trident. sess. 7. c. 10. de reform. & dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 16. Quare hodie ordinatio, Sede vacante, fieri non potest intra annum, Quod tamen intelligi debet de ordinatione subiectorum: interim non prohibetur Capitulum in diocesi sua exteros ordinandi alicui Episcopo licentiam dare, vti docet Henricq. lib. 10. c. 22. Piafecijs p. 1. c. 1. n. 10.

### §. Religiosi.

SI Monasterium situm in vna diocesi prioratum habeat in alia diocesi, eumque non exemptum ab Episcopo loci, tum qui in prioratu illo cum Superiorum facultate degunt, ordinari possunt ab Episcopo eiusdem loci seu diocesi, licet inde oriundi non sint.

Nunc verò habemus expressiorem de hac re Constitutionem Clementis VIII. apud Quarantā in sum. Bullarij, ver. ordo, Barbofam p. 2. alleg. 7. n. 18. & in declarat. Cardin. pratermissis, super sess. 23. Trident. c. 10. Quod Regulares Prælati literas dimissorias subditis suis iisdem regularibus (non autem secularibus sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, cit. sess. 23. c. 10.) dare possint; sed ad Episcopum diocesenum, nempe eius diocesis, in qua situm est Monasterium, in quo à Superiore positus est Regularis ordinandus; ea tamen limitatione, vt si Episcopus ille absens sit, vel ordinationes non habiturus, tum Regularis ad quemcunque alium Episcopum mitti possit, à quo examinandus erit quoad doctrinam: dummodò ne quid in fraudem fiat, seu non de industria differatur concessio dimissoriarum ad proprium diocesenum (v. g. donec Sedes vacet, & nulla ibi ordinatio sit) vt ad alienum Episcopum literæ dirigi possint. Porrò si ob causam absentiae, vel non habitæ ordinationis, dimissoriæ ad alium dirigantur Episcopum, ea in literis exprimenda erit. Vide etiam Trident. ead. sess. 23. c. 12. de reform. Rodrig. tom. 1. q. 18. a. 6.

QVÆRES: Vtrum hæc intelligi etiam debeant de Prælati Regularibus exemptis ab Episcopo, quod Regulares suos mittere debeant ad Episcopum eius diocesis, in qua Monasterium eorum situm est. Videtur esse affirmandum; cum Clemens VIII. nihil distingat inter exemptos, & non exemptos. Ceterique tamen Ordines exempti priuilegium à Sede Apostolica acceperunt, quod à quocunque Episcopo Catholico cum Prælatorum suorum licentia seu literis dimissorijs ordinari possint, vt videre licet apud Rodrig. tom. 1. q. 18. a. 5. Mirandam in man. Prælatorum tom. 1. q. 39. a. 3. Compendium Societ. Iesv, ver. ordo. Neque talibus priuilegijs repugnat Concil. Trident. cit. sess. 23. c. 10. cum tantum prohibeat regularibus Prælati, etiam exemptis, ne secularibus subditis suis dimissorias ad alios Episcopos concedant. Cæterum, si Prælati exempti regularis, vel secularis, quasi Episcopalem in loco iurisdictionem obtineat, quod propter immemoriam consuetudinem dimissorias subditis suis secularibus dare possit, ex responsione Rotæ Rom. tradit Piafecijs p. 1. c. 1. n. 12.

### CAPITVLVM VI.

#### Nullus.

#### PARAPHRASIS.

Hoc c. quatuor prohibentur: Primum. Ne quisquam Episcopus, alijsue infanti, id est, qui septem annos ætatis non impleuit, primam tonsuram conferat: Præterquam si Religionem ingrediatur, videl. à parentibus, vel tutoribus oblatas, vt olim moris erat. Quod annotauit hic Ancharanus.

Secundum. Ne prima tonsura conferatur homini illiterato, id est, qui literas latinas omnino nescit, vt idem Ancharanus annotauit. Vide Trident. sess. 23. c. 4. de reform.

Tertium. Ne quisquam tonsuram primam conferat homini diocesis alienæ, absque